





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

FEBRIS LENTAE

ORTV

EX INTERMITTENTIBVS

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICII  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

MEDICIN. ANATOM. ET CHIRVRG. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
ACADEM. CAESAR. NATVRAE CVRIOSOR. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. VIII. SEPTEMBR. CIO IO CCLXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GOTTHILF SPLITTEGARB,

STEINKIRCHA — SILESIYS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

10

1769, 15



DESSERTATION IN PHILOSOPHIA  
DE

# HERMANNI LEVITAE

OPUS

## EX INTERMITTENTIBUS

IN QUO  
DE CAUSIS  
SICUTI ET  
IN QUO  
DE CAUSIS  
SICUTI ET

## IN QUO

DE CAUSIS  
SICUTI ET  
IN QUO  
DE CAUSIS  
SICUTI ET

## DE CAUSIS

SICUTI ET  
IN QUO  
DE CAUSIS  
SICUTI ET

## IN QUO

DE CAUSIS  
SICUTI ET  
IN QUO  
DE CAUSIS  
SICUTI ET



V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

ET DOCTISSIMO

D O M I N O

IOANNI GODOFREDO  
KIRCHHOFIO,

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO,

PHYSICO CIVITATIS LAVBANENSIS

MERITISSIMO;

NEC NON

V I R O

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

DANIELI SCHERERIO,

SACRORVM ANTISTITI APVD SEIFFERSDORFFIENSES

FIDELISSIMO;

ET

V I R O

P R A E N O B I L I S S I M O ,

D O M I N O

CHRISTOPHORO EBELIO,

MERCATORI MARGLISSAE CELEBRI,

AVVNCVLO OPTIMO,



PATRONIS ET FAVORIBVS SVIS

OMNI OBSERVANTIA

AC

PIETATE COLENDIS,

HOCCE

SPECIMEN INAUGURALE

DEBITAE VENERATIONIS

AC

GRATAE MENTIS DOCUMENTVM,

OFFERT ET DEDICAT

IOANNES GOTTHILF SPLITTEGARB.







DE  
**FEBRIS LENTAE**  
O R T V  
**EX INTERMITTENTIBVS.**



§. I.  
*Febris*, cuius symptomata ad tempus quoddam  
ita cessant, ut aeger inter paroxismos duos  
febriles plenaria apyrexia fruatur, dicitur  
*intermittens.*

III 2  
Considerationem symptomatum maxime cognitorum, in hac tractatio-  
ne, ne repetitione tædiosa uterer, omisi.

§. II.

## §. II.

Res satis nota est, has febres et salubres, et noxios effectus in corpore humano exferere; in earum vero effectibus indagandis, distinctio febrium in vernas et autumnales non videtur negligenda, quoniam tam magnus Medicus, SYDENHAMVS, in *Observationibus suis medicis circa morborum acutorum historiam et curationem*, nos ad earum differentiam attendere monet. Nam Sect. I. Cap. V. de febribus intermittentibus, adeo necessaria est, inquit, haec febrium distinctio, ut, nisi eandem in praxi sedulo contemplerur, neque de earum curatione prognostico aliquo rite facto, quidquam pronunciare, neque commodo regimine aegrorum corpora curare poterimus, habita tam tempestatum, tam naturae febrium diuersa ratione. Interim tamen non dubito, quin febres istae sua natura siue essentialiter distinguantur.

## §. III.

In intermittentibus vernis humores lenti et pituitosi, qui hyeme, aut per victum, materiam viscidam suppeditantem,

tem, aut per vitam otiosam, in massa sanguinis accumulati sunt, tepore aëris grato solvuntur. *Illas semper salutaris et rarissime diuturnas esse*, affirmat SYDENHAMVS loc. cit.

§. IV.

Febres, quae autumnō contingere solent, pertinaciores vernis reperiuntur, et pluribus stipantur symptomatibus. Per calores enim aestiuos, fluidis partibus magis dissipatis, in sanguine maior oritur tenacitas, ad quam mistionem humorum si accesserint constitutio epidemica et subitae aëris vicissitudines, multum ad diuturnam durationem, et debellationem difficilem harum febrium conferre valent. De his, ut solet, SYDENHAMVS, *Seçt. I. Cap. V.* doctè differit: *Febris inde oriunda, inquit, mali moris esse solet et malignis atque horrendis symptomatibus plenissima. Illud, utcumque accidit, ut sanguis spiritibus suis magnam partem exutus, et ab aestate præcedenti plurimum adustus, ebullitione sua, non nisi tardissimis motibus defungatur, suaeque despumationi longissimam periodum postulet.*

B

§. V.

Si materia talis viscida et tenax febris beneficio subigitur et ex corpore eliminatur, nemo facile eiusmodi euentum salutarem esse dubitabit. Licet corpori etiam macies inducatur, febre tamen soluta, humoribus veterascentibus expulsi, et massa humorum in nouam et bonam mixtionem mutata, post breue temporis spatium, succis laudabilibus vasa iterum replentur, et solida magis confirmantur. *Profecto*, inquit SYDENHAMVS loco indicato, *est febris ipsa naturae instrumentum, quo partes impuras a puris seceruat.* In obstructionibus viscerum lentis, quae non nimis infarctae haerent, interdum febris intermitrens, quae limites non excedit, medicamenta omnia effectu egregio superat. Per concussionem, frigoris tempore, materia infarcta sensim mobilis redditur et calore subsequente resoluitur. Viri huius immortalis sententiam confirmat quoque *Perillustis VAN SWIETEN*, dum contendit, quod saepe per febrem conuincat natura tales morbos, qui ad optima quaeuis remedia rebelles manent. Exempla in *Commentariis ad BOERHAVII Aphorismos, de cognoscendis et curandis*

rendis morbis Tom. II. §. 754. exhibuit, et Clariss.  
 LAVTTER effectum salutarem intermittentis, suo exem-  
 plo extra omnem dubitationis aleam posuit. *Cognito enim,*  
*ait in historia medica biennali morborum ruralium, pag. 32.*  
*morbi genio, et mora sufficienti impetrata, facile fuisset,*  
*eam cortice, quo tam numerosas, periculosasque fugavi fe-*  
*bres, in me ipso etiam debellare; ast, quod validis cordis*  
*palpitationibus, leiporhymis, pulsus inaequalitatibus, abs-*  
*que manifesta nequitate, iam ab aliquot annis essem obno-*  
*xius, Celeberrimi Philosophi et Mathematici Parisini de la*  
 HIRE exemplo animatus, feбри pro illorum malorum reme-  
 dio aliquamdiu uti constitui. Et profecto asseuerare queo,  
 me ab illo tempore parum admodum ab iis malis fuisse af-  
 fectum.

§. VI.

Sed negari etiam non potest, durationem febris ni-  
 mis diuturnam, progignere maxime noxios in corpore hu-  
 mano effectus. Fomes enim febrilis intermittentium fae-  
 pissime in primis viis haerere solet, et ventriculi intestino-



rumque vires quam maxime laesae deprehenduntur. Tota digestio itaque, quando febris longum perdurat tempus, admodum turbatur et labefactatur; chylus crudus minusque defaecatus sanguini ingeritur, et his ex causis vniuersa sanguinis massa mixtionem deprauatam sensim sensimque induit.

§. VII.

Robur vero partium solidarum, per vicissitudines reciprocas frigoris et caloris valde minuitur. In frigore enim per spasmum cohaesio fibrarum augetur, quae per calorem mox subsequenter laxatur. Quo magis spasmus actioni cordis resistit, eo magis velocitas motus circulatorii, spasmo superato, augetur, et humores eo maiori impetu in vasorum latera agunt, fibrae distenduntur atque elongantur. Cum autem spasmum semper insequatur atonia, aliter fieri nequit, quam ut solidarum partium compages laxior minusque elastica reddatur, et insignem saepe debilitatem relinquat. Accedit et hoc, quod horrore tempore in venis maioribus cruor stagnat, qui, nisi vali-

de

de moueatur, semper in concretionem tendit ac spissitudinem aliquam contrahit; at quia harum sanguinis molecularum cohaerentium resolutio per calorem febrilem perfici rursus debet, calor iste ad robur vasorum infringendum multum quoque conferre obseruatur.

§. VIII.

Debilitatis sic partibus solidis, fluida deprauatam mixtionem induere, vnicuique, corporis machinam rite inueniendi, satis perspicuum est. Enimuero supra §. VI. iam ostensum fuit, quomodo massae sanguinis chylus non bene elaboratus ingeratur, et hac ratione cocochymiam progignat. Vnum vero remedium, quo omnes hae humorum deprauationes euitantur, est, si chylus bene subigatur, et in sanguinem probe mixtum mutetur. Ad hanc actionem autem conueniens et validior solidorum motus necessario requiritur; alias enim humores neque bene elaborantur, neque in fluidum, corpori sano conueniens, mutantur. Per longiorem autem febris durationem solidorum vires magis infirmantur, vti §. antec. demonstratum fuit; hinc fluidorum degeneratio indices magis crescere et atgeri debet.

## §. IX.

Cruor non bene densatus, sed maxime resolutus vix cohaeret; inde partes fluidissimae, calore in paroxismis febrilibus, praecipue per sudores ex corpore eliminantur, remanens postea pars, fluidissimis particulis dissipatis, spissior et tenacior fit, sales eius, aucto simul motu et calore, acriores volatilioresque redduntur, olea magis attenuantur, et tandem ab humorum blanda indole plane recedunt.

## §. X.

Talis humorum cacochymia spissa et acris, ad viscerum obstructions pertinaces, aptissimam materiam praebet. Transitus enim sanguinis per vasa in visceribus impeditus, stagnationem efficit, quia latera vasorum debilitata, a liquido impulso magis dilatantur, et functiones suas rite peragere nequeunt. Pars tenuissima fluidi stagnantis, per fines ultimos vasorum adhuc transprimitur, et crassior remanet; aliter itaque fieri nequit, quam ut sensim increfcens, obturationem canalıs plenariam tandem efficiat, infarctumque progignat.

## §. XI.



## §. XI.

Nullum vero systema vasorum his stasibus et infarctibus magis fauet, quam systema Venae Portae. Nam sanguis venosus viscerum abdominis, per canales coeuntes, absque actione cordis renouata iterum transfluere debet; qua de causa, cum et illud accedit, quod in sanitatis statu iam sanguis, per eandem vehendus, iusto spissior sit: motum eius progressuum admodum lente perfici, necesse est. Sic igitur, debilitate vasorum et spissitudine humorum auctis, lentor magis increfcit, et infarctus facillime generantur.

## §. XII.

Euentus tales, praecipue in quartanis, quas SYDENHAMVS affirmat, genuinam esse autumnii sobolem, obseruantur: saepissime etiam iam causa illarum materialis obstruens et spissa, in visceribus cum Vena Portarum propius connexis, delitescit. Per nimiam porro febris pertinacitatem, haec materia infarcta magis magisque impingitur, efficitque, vt quartanae ad debellandum difficiliore sint, saepiusque recurrere soleant.

## §. XIII,

## §. XIII.

Mala supra recensita, non febribus malignis solum, sed aliis etiam causis interdum attribui possunt; videlicet quando febre laborantes, diaeta minus conueniente, et medela peruersa vtantur. Vfus enim omnis ciborum, concoctu difficilium, sanguinis immeabilitatem et visciditatem semper auget; cum tenacitas nimia assumtorum, a debilitate virium assimilantium superari nequeat. Simili modo adstringentium medicamentorum vsus damnandus est, quoniam stases obstructionesque ita confirmant, vt nonnunquam resolui non possint. Sic Corticem Peruuianum, praestantissimum alias febrifugum, per intempestiuum eius vsu, noxios maxime effectus produxisse, omnibus ferme notum est. Febris enim hac ratione supprimitur, et materia, per febrem eliminanda, aut subigenda, in humoribus remanet, et generandis viscerum obstructionibus fauet. Hanc ob causam remedium hoc aliter non adhibendum est, quam quo tempore illud suasis SYDENHAMVS, *loc. cit. pag. 93.* *Curandum est ante omnia, inquit, ne praemature nimis hic cortex ingeratur, ante scilicet, quam morbus suo se Marte aliquantis-*  
*per*

per protriuerit, (nisi collabescentes et iam fractae aegri vires, eundem temporius sumendum esse dictauerint.): neque enim illud solum est metuendum, ne a praepropero eius usu inefficax iste reddatur, et spem aegri fallat, sed etiam ne de aegri vita agatur, sanguini, omni fermentationis nisu se despumanti, eam repente iniiciamus remoram. Saepissime euenit, quod intermittentes maturius cohibitae, quam caussa earum plane superata est, nisi recidivas pariant, grauiora symptomata relinquant.

§. XIV.

Quando materia infarcta magis exsiccatur, viscus aut totum, aut pars eius affecta, in tumorem durum indolentemque, qui scirrhus audit, mutatur, et functiones partis, quam occupat, semper laedit; saepissime etiam actiones vicinorum viscerum, quae comprimuntur, turbat. Concretum tale scirrhosum interdum per tempus longum mite et corporis inertis instar, antequam in deteriore abilitate statum, haerere potest. Cum autem humores stagnantes, etiam optime mixti, semper in corruptionem tendant: eo magis in scirrho, ex mixtione deprauata enato, id eueniet. Mouetur tandem materia, aut per motum excessiuum ab aegroto susceptum, aut per maiorem acrimoniam tempore sibi contractam: ita aliter fieri non potest, quam vt partes adiacentes arrodantur, inflammentur, et scirrhus ad ipsam perueniat exulcerationem.

In tota hac tractatione concretiones scirrhosas tantum considerare mihi proposui, in quantum aliquid ad febris lentae originem conferunt.

runt. Mutatio enim earum in cancerum ad aliud pathologiae caput spectat.

§. XV.

Sanguis, qui cum spissitudine acrimoniam habet coniunctam, ad inflammationes producendas quoque est aptissimus. Talem cacochymiam, ex intermittentibus nimis diurnis ortam, §. VIII. demonstrauius. Parte tenui et fluidissima ex sanguine expulsa, moleculae crassiores adunantur et concrefcunt: sanguis itaque densatus, per angustias arteriarum minimas amplius transire nequit, sed circa fines canalium coëuntium haeret, et aucto motu vitali, qui, cum transitus liber impediatur, moleculas, in vasis minimis sanguiferis immeabiles haerentes, a tergo vrget, inflammationem efficit.

§. XVI.

Si haec per inflammationem in vasis impacta materia, resolui et discuti nequit, illa, nisi febre nimis intensa, in destructionem gangraenosam et sphacelosam abit, aut in suppurationem transit, aut, si qua parte inflammata fuit glandula, in scirrhum degenerat. *Perillustr. VAN SWIETEN in Commentariis ad Aphorismos Boerh. §. 753. exempla ex IACOTIO exhibet, quae inflammationis ex intermittente ortum confirmant. IACOTIVM enim, inquit, ter in eodem anno obseruasse in febre tertiana cum rigore non ita ordinato, exortam suppurationem in imo ventre; et Celeberr. de HAEN in tractatione, febrium diuisiones sistente, diuisione undecima, ad hanc etiam sententiam accedit. Egregius BOERHAAVE Aph. 767-  
vetat,*

vetat, inquit, in febre intermittente corticem exhibere, si signa adsint internae inflammationis. Cum febres intermittentes nunquam inflammatoriae audiant, haec ita a BOERHAAVIO exponi, paradoxi quid habet. Inania tamen cum nunquam protulerit, casum hunc ipsi obseruatum fuisse, necesse est.

§. XVII.

Explicatis effectibus, tam salutaribus, quam noxiis, a febre intermittente eximescendis, in altera parte huius tractationis, febris lentae ortum, ex his mutationibus morbofis corpori inductis, considerare, animus est; nonnulla tamen quae ad historiam febris lentae spectant, praemittenda videntur.

§. XVIII.

Febris continua diuturna, calore praeternaturali post partum magis increfcente, stipata, succos habitumque corporis totum consumens, vires debilitans, lenta vocatur: quando autem symptomata grauiora fiunt, hectica dicitur.

§. XIX.

Haec febris in principio vix percepta, languore infolito se manifestat, qui calorem praecipue a meridie increfcentem, comitem habet; pulsus obseruatur celer et debilis; post somnum eius celeritas adhuc remittit; somnus vero non est reficiens, sed cum largo sudore, et vires sensim sensimque enervantur. Symptomata omnia tandem, modo citius, modo ferius, grauiora fiunt; aestus in continuum mutatur, et pulsus semper debilis et celer apparet; somnus est turbulentus cum sudore viscido; summa appetitus viriumque prostratio, et habitus

bitus totius corporis emaciatur et contabescit. Febre sic aucta, tandem excretiones colliquatiuae plerumque per sudorem et aluum accedunt, quae si abortae fuerint, corpore, viribus iam et omnibus succis exhausto, mortis indicium ferunt.

§. XX.

Indagatio huius morbi requirit, ut ad effectus, quos in corpore oriri posse, supra vidimus, regrediamur, et potissimum ad cachexiam, viscerum infarctus, scirrhus, suppurationem atque exulcerationem respiciamus.

§. XXI.

In statu corporis cachectico (§. VI. VII. VIII.) humores in corruptelam spontaneam degenerant, inde semper acriores fiunt, et ab indole blanda recedunt. Omnem vero acrimoniam liquidis, sanis contrariam esse, in Pathologicis demonstratur; attamen, quando solida bene constituta sunt, facile ab actione vasorum et viscerum subigitur, a liquidis laudabilibus secedit, et per urinae, alui perspirationisque insensibilis vias eliminatur. In contrario autem corporis statu, acrimoniam non solum remanere, sed etiam augeri debere, unicuique pater.

§. XXII.

Infarctus viscerum et scirri (§. X. et XI.) ad dyscrasiam humorum multum contribuunt. Nam, ut bonus et laudabilis sanguis perficiatur, imprimis bona chyli elaboratio, quae maxime a viscerum meabilitate pendet, requiritur. Ingesta enim, quae semper ab humoribus nostris alienam naturam habent, exigunt, ut viscera sua fabrica humores inquilinos fercernant,

cernant, et assumtis, quae horum ope subiguntur et in nostram naturam mutantur, affundant. Obstructis vero viscerum vasis, haec secretio impeditur, impeditis se et excretionibus chylificatio bona fieri nequit, consequenter totius corporis nutritio turbatur. Etsi etiam alimentorum assumtorum, in tubo cibario mutatio, plane negari non possit: assimilatio tamen et applicatio particularum succi nutritii non rite succedit, et ita ex hac interrupta functione tam necessaria, ortum suum nonnunquam trahit febris lenta, et corpus tabe plenaria consumitur.

§. XXIII.

Id saepius et facilius adhuc accidit, ubi vlcus internis corporis partibus inhaeret, quod pus, suppurationis ope elaboratum, ex corpore eicere non potest. Talis enim materia a vasis inhalantibus facile absorbetur, defertur ad sanguinis massam, et totum corporis habitum sensim sensimque corrumpit. Nam, quia eius euacuatio ac deterfio, auxiliis externis adiuuari nequit, stagnando in deteriorem statum abit, et tandem in plenariam putredinem vergit. Per experientiam vero compertum habemus, quod omnes humores nostrae machinae, per putredinem nimis resoluantur, et in ichorem tenuem et saniosum abeant; quo facto, vascula omnis generis, praecipue autem ea, quae circa partem affectam decurrunt, arroduntur et destruuntur; quibus tandem destructis, excretiones colliquatiae oboriuntur.

## §. XXIV.

Ex his omnibus apparet, quod magna adfit in humoribus acrimonia: Cum autem ab hac acrimonia, aut a pure, aut ab ichore, cor et vasa semper stimulentur et ad continuas constrictiones excitentur: ratio continuarum febrilium commotionum inde concipitur. Ast, quia solida nunc iam nimis debilitata sunt, nec cordi resistere valent, vehemens quidem febris oriri nequit, sed lenta tantum internarum partium resolutio percipitur. Quo magis vero successu temporis omnes ab acrimonia, aut materia resorbta purulenta destruantur partes, eo maiora et periculosiora oriuntur symptomata, quae veram tandem hecticam constituunt, et aegrum, in dies magis magisque extenuatum, ad mortem usque comitantur.

## §. XXV.

Haec sunt, quae breuiter *de februm lentarum ex intermittentibus ortu*, pro virium mearum tenuitate exponere volui; quae, si minus rite et distincte, quam res ipsa postulasset, a me explicata fuerint: Lectorem, vt de conaminibus iuuenilibus beneuolum ferre velit iudicium, humanissime rogo.

T A N T V M.

SPLITTE.



# SPLITTEGAR BIO SVO

C. G. GRVNER

S. P.

*Es* si isto itinere, quod Halam fecisti, summos in arte nostra honores impetraturus, usum et amicitiam tolli non posse, intelligo; tamen cum experientia edoctus sciam, quantum valeat in moribus mutandis dignitatis aliquod fastigium, vereor, ne absens absentem obliuioni tradas. Sunt enim, ni fallor, boni quidam homines, qui ex se ceteros omnes metiantur, et honores consecutos se ab aliis seruilibus coli iubeant; quod si qui detractarint, eos tanquam homines nullius frugis detestandos, execrandos, et omni iniuriam genere afficiendos putent. Sed quid ista? Mutuus noster amor est, nec modo animi mei candorem perspexisti, metus unquam et TIBI et MIHI erit, ne qua amicitiae dissensio subnascatur. Abi igitur, Amicorum Optime! Dignus enim es, qui praemiorum, artis salutaris cultoribus non recusandorum, fias particeps. Abi in patriam, Deo duce, fortuna comite, et miseris ex mortis morborumque faucibus eripe, nec unquam, qualis quantaque nostrorum animorum fuerit communitio, obliuifere. Vale, SPLITTEGARBI DOCTISSIME! iterumque vale, mibi que faue. Scribebam Lipsiae VI. Calend. Septembr. MDCCLXVIII.

CANDIDATO DIGNISSIMO

DOCTISSIMO

IOANNI GOTTHILE SPLITTEGARBI

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. D.

CAROLVS GOTTLOB MEIER.

*Indignum, hercule, amicitia nostra esset, si ego TIBI abeunti amicum animum meum publice declarare non vellem. Cum enim per omne tempus, quo in Academiis commorati sumus, intima mihi TECVM intercesserit amicitia; ergo valde gaudeo, quod mihi in libello TVO academico non recusaueris locum, ubi monumentum eius aliquod perenne exstaret. Enimvero TE non solum semper ob morum probitatem atque urbanitatem quam familiarissime dilexi; sed etiam magnam ex conuersatione TVA percepi voluptatem ob ingenii TVI acumen. Decerpsi quoque maximum coniu-*  
*ctionis*

Etionis nostrae fructum, leuamen nempe curarum et dolorum, quos animae perturbationes cuiuscunque generis nobis imprimere solent. Et quoniam omnes hae virtutes, quibus praeditus es, ad medicum clinicum necessarie requiruntur; hac de causa ex his praxim TVAM futuram etiam auguror felicissimam. Vbi enim remedia non sufficiunt, ibi colloquia amicabile, bona consilia atque consolationes suaves adhibebis, et hac ratione corporis aegrorum TVORVM affectiones non solum curabis, sed mentem inquietam ipsam tranquillare poteris. Itaque gratulor omnibus quibus medicus futurus. Abi bonis auibus, quo TE TVORVMQVE vota trahunt! Ut in patriam sanus redux omnia TVA conamina in posterum laetum nunquam non nanciscantur euentum, ex intimo cordis affectu TIBI opto. Quod reliquum est, vt amicitia TVA gratissima me semper dignari velis, iterum iterumque rogo. Vale viueque feliciter. Dabam Lipsiae d. 1. Septemb. MDCC LXXIX.

Qui fueras quondam, SPLITTGARBI! dulce solamen  
Eximiumque decus, nobilis arte, nites,  
Quo fugis? — at praefat TE tollere laudibus istis,  
Ingeniosa TIBI quas Hygiene dabit.  
Sis magnus, felix, sis terque quaterque beatus,  
Foederis et nostri TE meminisse iuuet.

Hicce paucis CANDIDATO DIGNISSIMO  
et sui et amicitiae mutuae memoriam  
commendat

IOANNES THEOPHILVS GEHLE,  
Schlawenscbuzens. Siles. Med. Cntr.


Lipsiae  
die XXX. Augusti  
c1o 1000 LXXVIII.

ULB Halle 3  
001 516 159  


56

WIP





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA 10  
DE  
**FEBRIS LENTAE**  
ORTV  
**EX INTERMITTENTIBVS**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**

MEDICIN. ANATOM. ET CHIRVRG. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
ACADEM. CAESAR. NATVRAE CVRIOSOR. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI.

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. VIII. SEPTEMBR. CIO IO CCLXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
**IOANNES GOTTHILF SPLITTEGARB,**

STEINKIRCHA - SILESIVS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

1769, 15

